

assequi; Falsissimum 3. multos inveniri posse, in quibus nec per umbram similis excitetur ratio cinatio, quanquam autem ambabus largiamur manibus, discursum illum indigere magna consideratione, si quis in acie stet contra præfractum atheum, quanquam etiam hoc verum, non penetrari vim illam rationum Metaphysicarum tot exceptionibus obnoxiarum, tot terminis involutarum, tot Maximis suffultarum, quas Pontificii passim primæ parti Theologiæ inspergunt, quanquam etiam in facillimis quandoque cespitare tardiores concedamus, nondum tamen consequens est, mediocri & pro modulo ingenii adhibita consideratione circa admirandam mundi structuram non influere opificis existentiam, bonitatem, sapientiam, potentiam & similia, aut non simplici (beneficio facultatis ratiocinandi naturalis) discursu sine tricis apinisque aspersis illucescere menti, quod admirandus corporum ordo indefinenter ingerit, aut tandem concurrente notitia insita & objecto irritante externo, ne per umbram quidem excitari, ratiocinationem quandam, in Existentiâ divinitatis sese refundentem, ut ut alia objecta, quorum nulla datur insita notitia, etiam facilia, non tam facile apprehendantur, stimulat enim illud ἡγεμονικόν internum, urget lex cordibus inscripta, convincit hæc universi facies, ut nullus detur ratione quidem utens homo, cujus mentem non subeat, vel semel aliqua de DEO notitia, aliqua de Numine Cogitatio.

XXI.

Religiosior est circa tractationem hujus quæstionis, quanquam in quibusdam etiam cespitet, *Blasius à Conceptione Carmelita* exalceatus, productis namque Scripturæ testimoniis, Patrum autoritatibus, & tandem aliquod rationibus, *Gonzalem, Granadum, Monte sinum & Alvarezem* laudat, nobisque ὁμόψυχον *Molina* opinionem & argumenta expugnat.

XXII.

Arminianorum tergiversatio circa hoc punctum jure notatur, dicit Paulus, *Invisibilia DEI intellecta conspici & pervideri*, illi latere illa